

✠ { ☉ } ✠

ctione, qua tanquam regio sigillo ab reliquis hominibus facile distingui potuerit, et auctoritate quasi et testimonio publico divinitus dato munitum esse, ut ab omnibus cognosceretur Messias. Addenda est postremo eorum opinio, qui sigillum Dei miracula esse crediderunt, quibus perpersuaderi debuerit mundo, eorum auctorem verum esse Messiam, verissimumque Deum.

§. 2.

Nolo tamen in praesenti tam in veritatem harum commentationum, quam ipsius potius sententiae a Christo prolatae diligentius inquirere, et quae vera mens verborum Christi esse videatur, exponam. Est vero obsignatio Christi, divina eius in sacrificium pro genere humano dedicatio, et cum sanctificatione Christi satis accurate convenit. Tuentur hanc sententiam verba, quae sermonem Christi de obsignatione sua tam antecedunt, quam sequuntur; tuentur eam spiritus S. effata, quae eodem respiciunt; tuentur denique et Antiquitates tum hebraicae, tum aliarum orientis gentium ritus, in peragendis sacris observati, quibus dedicatio in sacrificium solemnibus obsignatione perficiebatur. Sermonem Iesus cum auditoribus instituerat de corpore suo, postquam Deo patri in sacrificium fuerit oblatum ab hominibus comedendo, quod cibus sit ab omnibus salutis aeternae cupidis magnopere expetendus. Idque orationis caput diu prosequitur sospitator, saepe licet multumque interpellantibus sermonem Iudaeis. Ad rem itaque plenius intelligendam animus potissimum intendendus est ad id, quod cibus, de quo Iesus loquitur, demum post sacrificium corporis sui Deo oblatum hominibus supeditandus sit, quod claris ac perspicuis verbis docet com-  
mate